



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Poemata Ferdinandi Episcopi Monasteriensis Et  
Paderbornensis, S. R. I. Principis, Comitis Pyrmontani,  
Liberi Baronis De Furstenberg**

**Ferdinand <Paderborn, Bischof, II.>**

**Parisiis, 1684**

Ad Philomathen.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-7748**

Quæ facilis nostris obtutibus ille recludit  
Omnia, vix aliis pervia luminibus.  
Di mihi, Di tantum servent Heroa clienti,  
Dulce decus Musæ præsidiumque meæ.  
Chisia sic faveant mihi sidera, Chisia quercus  
Me tegat, & senis stet mea Cyrrha jugis.

A D

P H I L O M A T H E N.

*Nequicquam Musarum juvenilium auctorem tegi.*

**Q**UALIS, ubi Pharios exurit Sirius agros,  
Frugibus optata Nilus inundat aqua,  
Et super arentes fuso natat æquore glebas,  
Et riguam lætis messibus ornat humum;  
At longe positis idem cunabula terris  
Et caput ignotis celat originibus:  
Talis Mæonio quæ certent carmina vati  
Fundis, &, ut magno Pindarus ore, ruis;  
Et Latium sermone beas, & divite vena  
Fecundas, vatum Maxime, Castaliam.  
At cur Perrhæbi bene cognitus incola Pindi,  
Cor Charitum, nostri spesque decusque chori,  
Cur latitas, & lene sacræ caput occulis undæ,  
Quo veniunt Clario pocula digna Deo?  
Cur tegis ambigua JUVENILIS imagine MUSÆ  
Ingenii cultum divitiasque tui?  
Cur dubitas proprio dignari nomine fœtum?  
Cur dubitas famæ pandere vela tuæ?

D ij

28 FERDINANDI EPISCOPI MONASTER.  
Nequicquam, Vir Magne, lates: te nostra lo-  
quuntur  
Tempora, te Vatem secla futura canent.  
Admirata tuos Siren Acheloia cantus  
Audiit, auditis cedere fassa suos.  
Cum Phaethontex canerent tua carmina Nym-  
phæ,  
Suspensò Cycnus plausit ab Eridano.  
Constitit aurata captus testudine Thybris,  
Et jussit fluctus lentius ire suos.  
Sæpe tuos avidis Rhenus pater auribus hausit,  
Sæpe Mosella tuos, & piger Alpha modos.  
Nequicquam, Vir Magne, lates: te fama latenter  
Prodit, & Eois monstrat & Hesperiis.  
Nec sinit indictum pietas, animusque periclis  
Altior, & pacis, quem profiteris, amor.  
Sichemios colles, & collibus addita testor  
Templa coronato suspicienda tholo.  
Vos Ubii testes, testis Mimigarda laborum,  
Et septem geminis Roma superba jugis.  
Eripe nunc ergo tenebris caput, eripe nocti,  
Et larvam fictis detrahe nominibus.  
Si minus occultum Scyros celavit Achillem,  
Agnitus Æolidæ si fuit ille dolo:  
Si, qui regna tenet late Parnassia, Phœbum  
Ora latere vetant, & coima digna Deo:  
Si, licet obscura celetur nocte, pyropus  
Nativo rutilum provocat igne diem: